



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. II. De innovatione privilegiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

§. V.

De privilegiis studii generalis in Curia Romana.

QUæ privilegia sint eorum, qui in Romana Curia juri utrique dant operam, videntur illi, qui Romæ ad hæc studia incumbunt, videatur etiam cap. cum de diversis 2. hoc tit. in 6.

§. VI.

Quæ sint prerogativa sive privilegia principalium Sedium 4. Patriarchalium?

Videatur de hac materia, parùm nobis scitu necessaria, cap. antiqua 23. h. t. ubi ordo etiam harum Patriarchalium Ecclesiarum ponitur, ut post Romanam, quæ mater omnium Ecclesiarum est, primum locum habeat Constantinopolitana. Secundum Alexandrina. Tertium Antiochena. Quartum Jerosolymitana, quæ tamen quatuor Patriarchales Ecclesie hodie vel hæresi, vel schismate infectæ sunt vel saltem sub Turcico jugo gemunt.

§. VII.

De privilegiis Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Prælatorum inferiorum.

NEque hujus §. materia multum scitu necessaria est Sacrorum Can. Studiose, cui labor hic in servire potest. Viderint illi quorum interest, quæ privilegia talium majorum dignitatum in

Clement. Archiepiscopo 2. h. t. habetur & in cap. 1. eodem, ac in cap. Altitis 3. & cap. Apost. 6. eodem in 6.

S E C T I O IV.

De prescriptione, innovatione, usu, & effectu privilegiorum.

§. I.

Quanto tempore prescribatur adversus privilegia?

DE jure antiquo in Cap. 5. de terris. h. t. ad prescribendum contra privilegia Ecclesie alicujus suffi debent 40. anni, per cap. tamen accedendum 11. h. t. correctum hoc fuit, & alia non admittuntur contra Ecclesie privilegia prescriptio, nisi 40. annorum, quo tempore etiam alia jura Ecclesiarum prescribi possunt, nisi privilegia talia sint, quibus renuntiari non potest, ut est privilegium fori, aut sint statuta generalia, quibus Ecclesia regitur, quæ semper immutata & immutata manere debent, ut in cap. 1. caus. 6. q. 1. temporibus.

§. II.

De innovatione privilegiorum.

Innovationem privilegii concessi fieri quidem posse, nullum tamen per se in innovationem novorum jura conferre.

si, ex dictis jam patet & ex cap. 13. ac 29. h. t. & ex cap. dilecto 4. de confirmatione uili, ita tamen, ut de tali innovatione eodem modo videatur loquendum, quomodo de confirmatione in forma communi, aut ex certa scientia locuti sumus, juxta quam duplicem confirmationem duplex etiam innovatio, vel in forma communi, quæ nullum novum jus tribuit, vel ex certa scientia, aut æquivalente clausula, quæ novum jus facit, fieri potest. Et quamvis pari modo opponere se possit pars adversa contra petentem privilegij, cujus authenticum scriptum amiserat privilegiatus, si cut se opponere potest contra petentem confirmationem, si illius interfit ad cavendas lites neutrum fieri, si tamen contra petentem talem laicum v. g. nemo se ingerat, & hic probet instrumentum, in quo continebatur privilegium, fuisse amissum; & si probet tenorem instrumenti perditæ ac alias illius solemnitates; & demum si probet, caruisse illud omni vicio, innovari potest.

§. III.

De usu & effectu privilegiorum.

Nemo quidem cogitur uti suo privilegio, prout sumitur ex cap. si de terra 6. h. t. (Cum liberum sit cuivis, favori pro se introducto cedere) nisi sit privilegium tale alicui communitati concessum, cui privata persona renuntiare non potest, aut aliunde superveniat obligatio, utendi tali privilegio, prout fieri possit, si concessum fuisset alicui privilegium

Compend. Parhins.

ut tempore interdicti Missam audire possit, hic in diebus festis Missam, si hæc etiam interdicti tempore legeretur, audire deberet, & sic uti suo privilegio.

Ut autem privilegium suum sortiatur effectum, & jus aliquod privilegiato conferat, requiritur, ut privilegiatus (vel saltem procurator ejusdem ad hoc sollicitandum, vel acceptandum constitutus) habeat ejus notitiam, & acceptaverit, cap. ex parte 13. h. t. & cap. si tibi 17. h. t. de prebendis in 6. (neque enim invito datur aut prodest privilegium) & uti hoc poterit etiam extra territorium concedentis, si personale illud privilegium ab homine, Episcopo v. g. concessum fuerit, cum privilegium tale personale cohareat personæ, & ipsa privilegi concessio sit actus jurisdictionis voluntariæ, quæ extra territorium concedentis suum robur etiam obtinet.

SECTIO V.

De variis excessibus seu de abusibus privilegiatorum prohibitis jure Canon.

§. I.

Qui sint excessus seu delicta privilegiatorum, & quomodo puniendi.

Longum fatis catalogum contexit Pontifex in cap. cum plantare 3. h. t. de excessibus, quos committunt privilegiati

LII II

legiati